

COMITES DE SAURAU.

Qui in Styria Supremum Mareschallatum hæreditario Jure hodie tenent Inclyti Comites de Saurau origine Styri sunt. Arnoldus & Sigfridus hujus gentis alumni in literis vetustis testes adducti sunt, sub Annum Christi 1117. (a) Conradi de Saurau memoria in Privilegiis Styriæ (Land, Handvest) occurrit ad Annum 1292. (b) Casparus de Saurau Dietmari Galler cognatus dicitur in documento aliquo de An: 1300. (c) Ottocarus de Saurau An: 1302. solam aviculam nigram expanlam sine pedibus, quam Styri Schicken vocant, aliis Vespertilio dicitur, campo aureo impositam, in insignibus gessit. (d) Ortelinus autem de Saurau An: 1304. claruit (e) Otto, Elisabetha, Vandula & Berchta de Saurau vendiderunt Dietmaro de Breitenburg bona quædam in loco die Gurcken dicto sita Anno 1305. (f) Fridericus de Saurau Anno 1318. claruit, & gnatum Henricum reliquit qui Anno 1326. celebris fuit. (g) Alius Mele de Saurau dictus in antiquis chartis citatur sub Anno 1318. (h) Matthias, Fridericus, Erhardus, & Ulricus de Saurau ad Annum 1376. memorantur in sequenti diplomate.

Ich Matthias von Saurau / Ich Peringer Diemerstorffer / Ich Reinprecht Windischgräber / Ich Rudolph / Hannsel und Conrad die Planckenwalder / Ich Friedrich und Erhardt die Saurauer / Wir verzeihen und seyn des Gezeugen mit dem Brieff / daß unser liebe Mumme Frau Catherina / unsers lieben Freund Herrn Ulrichen des Saurauer seel: Wittib (den GOTT gnad) an die Münzbergerin ihr Mutter / umb alle die Forderung und Zuspruch die sie gehabt hat / nach der vermeldeten Haab vergnügt worden ist. Actum 1376. am Frentag nach dem heiligen Creutz Tag. (i)

Fridericus & Casparus de Saurau in literario instrumento se & Uxores suas obligarunt Anno 1402. Anna de Saurau, Caspari de Saurau agnata, Decanissa monasterii in Gôls fuit Anno 1410. Henricus de Saurau Judicis curiarum feudalium apud Abbatissam in Gôls spartam ornavit Anno 1421. Philippus de Saurau solam aviculam in insignibus gessit Anno 1444. Dietmarus & Starckardus Fratres de Saurau, in Ligast bona possederunt Anno 1464. Casparus de Saurau Dietmari filius Anno 1390. & 1412. vixit, & Demutham Pauli Ligaster viduam penatibus suis induxit, qua sine prole mortua, secundis nuptiis sibi copulavit Dorotheam Friderici de Fladniz in Hohentwang Supremi